

ad adultiorem aetatem infantes pervenerint, ubi bracherium adhibent, cujus applicatio in tenerrimis et recens natis, tam ob celere partium incrementum, quam immunditiam, multis incommodis stipata est. At cum ex neglecto hoc vitio plurimae affectiones molestae oriri possint, et curatio eo facilius sit, quo citius suscipiatur, fasciam mox applicare non dubitaverim: idque eo magis, cum viderim, infantes hernia laborantes debiles et minus bene nutritos ea curata, egregium cepisse incrementum. Imponantur autem splenia gradatim posita, modo a LEVRETO §. II. in umbilicali hernia commendato; deinde fascia, *spica* dicta, inducatur, quae vero crebrius propter inevitabilem immunditiam, mutanda est, intestinis manu interea leviter repressis. Usus, qui ex accurata herniarum harum congenitarum notione in curationem, quae in adultis fit, redundat, praeterimus, et lectorem ad dissertationem Cel. LOBSTEINI laudatam, amandamus.

§. 13.

Morbi scroti, urethrae, penis.

Ex iis, quae in paragrapho praecedente diximus, descensum testis ex abdomine satis patere arbitror. Cum vero ille in recens natis nonnunquam vel in abdomine, vel in annulo abdominali adhuc haereat^o), pressio ejus ibidem haerentis omni modo evitanda est. Infanti enim, si v. c. fasciae nimis constringantur, dolorem ingentem et inflammationem, interdum quoque *sarcocelen*, hac ratione induci posse, plures observationes probant. Si itaque tumor in recens nati inguine percipiatur, semper inquiratur, utrum testis jam descenderit, an in abdomine adhuc haereat, et magna cautio adhibenda est, ne tumor, ex teste in progressu suo retardato ortus, vel cum
hernia,

quare inter eum et HVNTERVM de inventionis gloria lis orta est. Jure tamen ea HVNTERO tribuitur, licet POTTIVS practicas observatio-

bus ulterius hanc rem illustraverit.

^o) Hoc vitium seu loci aberrationem SAUVAGES et alii *parorchidium* appellant. *Nof. T. I. p. 222.*